



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 171. Alphonsus Borgia in Pontificem electus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. A.C. 1455. vellent; quem tamen non sine timore ad Papatum admittere deberent, cum de sincera ejusdem conversione dubitari possit; agebat etiam, naviculæ S. Petri regimen non esse committendum illius manibus, qui illam paulo ante submergere, manibus pedibusque laborasset; *En paupertas Ecclesiæ latinæ, pergebat Avinionensis, quæ virum non reperit summo Apostolatu dignum, nisi ad Græcos recurrat.* Pluribus aliis in unum congestis illos, qui Bessarioni favebant, a sententia dimoveré conabatur, tantaque verborum vi, ac rationum pondere differebat, ut facto scrutinio potior pars a Bessarione deficeret.

## §. CLXXI.

*Alphonsus Borgia in Pontificem electus.*

*Comment.*

*Pii II. lib. I.*

Cum duæ partes Collegii in unum convenire non possent, præter omnem populi expectationem Pontifex eligitur Alphonsus Borgia Valentiaë in Hispania natus, Cardinalis tituli SS. quatuor Coronatorum. Hic ex nobilissima familia ortus, Vir erat in dijudicandis causis acri judicio præditus, ac in rebus gerendis prudentia eximius, sed jam prope decrepitus; nam annum septuagesimum octavum attigerat. Equidem Nicolao V. factis

tis functo, singulis se procul dubio futurum Pontificem affirmabat, sed nonnihil tanquam senex delirare credebatur.

Sæcul. XV.

A.C. 1455.

§. CLXXII.

*Callisti III. nomen adoptat.*

Igitur celebrato Sacro de Spiritu Sancto, initium datum est scrutinio, cumque solus omnium suffragia tulisset, die octava Aprilis Cardinales de more eum summum Pontificem sub Callisti III. nomine venerati sunt, Cardinale primo Diacono illius electionem populo confestim annuntiante. In Cathedra ad Basilicam sancti Petri delatus, persolutis coram sanctissimo Altaris Sacramento precibus, super aram SS. Apostolorum sedit, ubi omnes Cardinales accesserunt, ejusdem pedes osculaturi. Inde ad suum deferabatur Palatium, & quosdam articulos triduo ante electionem suam a sacro Collegio decretos, jurejurando firmavit. Quibus peractis singuli ad sua reversi sunt.

§. CLXXIII.

*Neo-electi Pontificis dotes.*

Die vigesima Aprilis neo-electus Papa consuetis solemnibus suæ Coronationis insignia suscepit. Jam in *vigesimo sexto* Historiæ nostræ tomo vidimus, quod is olim in extinguendo schismate Munionis,